

1711 12/29 6 1/2 1/2 1/2 1/2

Sammelbet!

D 1507

2

21.

Q. D. B. V.

DE

# BERVRIA

IVDAEORVM

DOCTISSIMA FOEMINA

AD

HISTORIAM LITERARIAM

EIVS GENTIS

SECVLO SECVNDO POST C. N. DILVICIDANDAM

PRAESIDE

GVSTAVO GEORGIO

ZELTNER

SS. THEOL. D. EIVSD. ET LL. OO. P.P.

ET V. D. M.

DISQVIVISIONEM INSTITVET  
ACADEMICAM

A. R. S. c. l. s. 19 cc XIV. D. SEXTIL.

IOANNES STENGEL

VLMENSIS.

---

ALTORFII

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD, TYP.



BERKURIA

DOCKSMAFORMIA

HISTORIA TERRARUM

ET GENTIS

SEPTIMO TOPO C. N. D. V. C. I. A. D. A. M.

PRASSIDE

CRISTIANO GEORGIO

SS. THEOLOG. DIVISIONE



DISPOSITIONE

ACADEMIAE

ALBERTINA

IOANNES STENDEL

VIEMENSIS

ALBERTINA  
UNIVERSITÄT HALLE (SACHSEN-ANHALT)





## I. N. D.

## §. I.

**T**er memorabilia, Seculo secundo, post Christum natum, gesta, præter ea, quæ ad Veri cœtus divini incrementa pertinent, observationes quoque in Re literaria multiplices occurrunt. Etenim pene in omnibus non solum gentibus, pulsus in exilium *Pythagoricorum* quorundam artibus & professoribus, Magiæ suspectis, efflorescere hoc ævo visa est *Platonica* atque *Stoica* Philosophia, & Principibus quoque summis laudabiliter præeuntibus amplificatæ sunt bonæ artes. Verum etiam ad sexum inferiorem & muliebrem progressionem fecisse memoriæ proditum est. Referuntur sane ad hanc ætatem non obscura, in Historia Mulierum doctarum, exempla, quæ non temere alioqui reperire liceat, cum ab aliis annotata, tum potissimum a Doctissimo *Callorum* Literatore, *Egidio Menagio* Lib. singulari in hanc rem conscripto, pereximio, & splendidissimæ quoque Editioni *Diog. Laertii* Amstelodamensi atexto. In his *Clea* nominatim celebratur, cui *Plutarchus* suum de Mulieribus L. nuncupavit. Deinde *Eurydice Polliani* Uxor eo præcœ claret, cui conjugalia idem præcepta sua inscripsit, eamque in Philosophia educatam enutritamque ait. Aliam ejusdem indicio *Eurydicen* Illyriam, epigrammate quodam insigni nobilitatam, non ignorant Historiarum scriptores; *Juliam* vero *Domniam* Severi Imperat. Conjugem tantopere prædicat in Philisco *Philosophia*.

*dostratus*, ut Philosopham appellet & Philosophorum promotricem, eamque totos dies cum Sophistis transegit narret. Ne quid de obscurioribus dicamus, atque illa denique vexata inter Eruditos *Arria*, cui *Diogenes* ipse, paulo supra hoc medium seculum, suum de Vita, placitis & Apophthegmatibus Philosophorum illustre Opus dedicasse putatur; sicuti ex verbis illius L. III. Vit. *Platon*. segm. 47. colligitur. Ibi enim *Φιλοπλατώνα δικάως ὑπαρχέσθην καὶ παρ' ὀντιῶν τὰ τῆ φιλοσόφου δόγματα φιλοτιμῶς ζητήσθην* quidam eam appellari conjiciunt; pluribus vero ex Auctore incerto, quem *Galenum*, æqualem, nonnulli fuisse censent, rem omnem exposuit, *Jonsius* de Script. Hist. Philos. L. III. c. 12. præ ceteris hic consulendus.

## §. 11.

Nobis in præfenti rarius, in *Gente*, magnopere tunc afflicta, *Judeorum*, cujus jam nos sollicitudo tenet, offertur, & foemina quoque, in eo populo, erudita, omnium spectatissimum specimen. Nomen, quo insignita legitur constantissime a suis, כורייה audit. Historia vero vitæ & fatorem a plerisque Christianorum ita pertinaci silentio prætermissa adhuc fuit, ut, si a B. Wagenfeilli qualicunque ejus mentione atque laude discedas, Christianis prope omnibus incognitam huc usque mansisse aulam affirmare. Quam infrequens autem ejus inter nostros, non vulgares tantum, sed diligentissimos etiam Philologos, invenitur memoria, tam trita & pervulgata inter Ebræos ejus est notitia & æternitati dudum consecrata existimatio. Ex horum igitur scriptis monumentisque unice, quæ quidem memorata digna habeantur, nobis repetenda esse facile prævidemus. Cum scriptores Rerum Romanarum, neque ipsa cum Judæis gesta longe plurima, & cruenta admodum bella, satis accurate in historiæ monumenta retulerint. Tantum scilicet abest, ut cetera, quæ ad genis Judæicæ literaturam pertinent, vel primis digitis attigisse existimandum sit.

## §. III.

## S. III.

Ex his itaque fontibus BERVRIÆ fata si hauriamus ante omnia, hac tempestate, de qua §. I. dictum, *sec. nempe II.*, claruisse inter suos, ostendendum est. Id quod sine difficultate præstabitur, dummodo ad Parentem, Maritum, Amicos, Colloquia, & Cooptationem ipsius inter *Mischnicos* Doctores diligenter attendere placeat. Hæc enim cuncta, atque reliqua etiam, de quibus infra pluribus exponemus, ad hoc ævum, & tristissimos bellorum, cum intestinorum tum externorum motus, Celeberrimam hanc foeminam, ut referamus, nos cogunt atque imperant. Neque est, quod mireris, inter has tam frequentes, & tam logubres turbas, ea que toti propemodum genti Judaicæ exitiales, ad sexum foemineum doctrinæ tam exquisitæ culturam & ornamenta pervenisse. Etenim his iisdem exercitamentis levare exillii & oppressionis violentæ infortunia, studiisque literarum solari captivitatem, atque simul inter tot adversa, quæ suo malo sueque culpa sibi ipsis attraxerant, spe melioris fortunæ, se sustentare, operæ pretium videbatur. Ad quod accedebat præpostera *Messia*, qui ad palatum esset, labantesque res Judæorum restitueret, jamjam affuturi, expectatio præpostera, non nisi sacrorum institutorum, & a Mose ore tenus traditorum, diligenti custodia, ut illi opinabantur, promovenda. Factum hinc est, ut *inter medios armorum strepitus*, quæ subinitium seculi hujus semel iterumque arripuerant, moverantque omnium vehementissime ab *Impostore* & falso *Messia* כוכבא בר turpiter decepti, cum *Adrianus* rerum in Romano Imperio potiretur, in sua Metropoli, & rerum novarum receptu infelici (ביתר) quadringenta Collegia sive Musea, neque imparem, in singulis horum, doctorum discipulorumque numerum fuisse perhibeant. Urit enim dubium non sit, quin strenue, uti alias, exaggerent omnia Verpi, in Gem. Bab. *Gittin*, ubi illa f. 57. b. & 58. a. copiose enarran-

tur, præsertim quod ad numerum, ex æquo, superstitiose definitum attinet; tamen haud audemus omnino inficiari, pernam in studiis consuetis inter eos industriam, eo ipso tempore, quo alias inter arma silent Mulsæ, adhibitam viguisse. Certe non vana conjectura id ex eo intelligi posse credimus, quod doctissimos Judæorum illa ætas tulerit, quales, & quidem tanta frequentia, neque priora secula, neque posteriora protulisse, comperitum est.

## § IV.

Quodsi vero ab ista Civitate, post obsidionem diuturnam, tandem expugnata atque desolata, non sine horrenda tumultuantium strage, atque ipsius Pseudo Messia, cum Armigero R. *Akibba*, nece, discedendum nobis sit, naniarum, sine dubio admixtarum, formidine; at tamen indubiæ quæ florebant, præter *Babylonicas*, *Soranam*, *Nehardeensem*, & *Parubedithanam*, Academias, non deerant celebres in Palæstina Scholæ, ad hoc usque ævum, & paullo post adhuc superstites, *Jafnensis* puta, *Lyddensis*, *Zipporensis*, *Tiberiensis*: ut obscuriores *Magdalensem*, *Chammathensem*, *Ushensem*, & similes, mittamus. In his autem artium liberalium Gymnasis, cum semper vixerint, ingenti copia, Eruditi, suo more, Judæi, (quos ex Tiberiensium numero fama eorum invitatus, seculo adhuc quinto ad se accersivit *Hieronymus*,) quis dubitet, & publice & privatim ingenia præstantiora fuisse in illis expolita, nostramque adeo etiam *BERVRIAM*, rarissimo quidem exemplo, & præter gentis suæ morem, bonæ mentis areolas ibidem rigasse.

## § V.

Quam proclive autem est, Seculum, quo vixit & inclaruit *ברוריה*, nemine fortassis refragante, determinare: cujus priorem, ad medium usque intervallum, partem attigisse, inque ipsas adeo rebellionum turbas, atque proxime ad illas consequens

*Ala-*



*Antoninorum*, *Pii* & *M. Aurelii*, Imperium incidisse, plurima  
sunt, quæ prodant, indicia; tam arduum est, et fere impossi-  
bile, si quis velit *Natales* ejus ipsamque annum nativitatis arcti-  
us pressiusque definire: quanquam & parum referat, si vel ma-  
xime ejus ignoremus vivendi exordium. Equidem si *Dionem*  
*Cassium*, seu *Xiphilinum* potius, compendii ex *Dione* auctorem,  
*Æliumque Spartianum*, & qui cum Judæorum narrationibus opti-  
me omnium concordat, *Eusebium* H. E. L. IV. c. VI. consula-  
mus, *Trajano* summam Rerum tenente, *Parus Beruria* flo-  
ruit. Et si vera sunt, quæ Judæi tamen videntur fabulari, de  
לופינוס, qui comburi cum jussit, eoque nomine *Lucius*  
*Quietus* Dux Exercitus *Trajani*, adversus Judæos missus, in-  
telligendus sit, jam *Trajano* minimum imperante natam  
fuisse, dicere oportebit. Sed quia neque fidei *R. Abr. ben*  
*David* (cujus solius hæc in *Seph. Kabbala* cum *Seder Olam* edit. soli-  
to est narratio,) multum tribuendum, neque etiam commutatio  
ea nominum adeo certa & prona est: si denique eundem quoque  
*Lucium*, seu *Lusum* aliam, mediis hæc & longius progressis tu-  
multibus, sive adhuc interfuisse, sive præfuisse ad tempus, *Spar-*  
*tiano* teste, cogites; facile patet, nihil certi ex his confusis  
antiquitatis rudibus erui posse. Accedit & novos scrupulos  
injicit, quod *Julium Severum*, ex Britannia accitum, hoc bel-  
lum gessisse a *Dione* perhibetur; *Ruffum* autem, quem Judæi  
vulgo טורנוס רופוס vocant, ab *Eusebio*; *Turbonem* denique  
*Martium* compressisse Judæos, a *Spartiano* affirmari constat.  
Quæ, nisi de cæptis continuatisque aliquot expeditionibus, qui-  
bus ultimam manum alii quam priores imposuere, intelligenda  
sint, non videmus quemadmodum conciliari queant. Unum  
igitur, quod pro certo affirmetur, superest: Nempe, cum Anno im-  
perii *XVIIII*. *Adriani* finitum esse prope omnes testentur Judæi:  
cum bellum, quod tempus in sec. II. circiter A. XXXV. incidit;  
& ut

& ut in sequentibus docebitur, jam adulta, cum sorore, immo matrimonio, ut videtur, elocata fuerit *Berurja*, hinc consequi jam sub *Trajano* vel circa initium Imperii *Hadriani* in lucem fuisse editam, cetera vero in medio relinquenda esse.

## S. VI.

De ipsa quidem motuum Judaicorum historia caussisque & exitu rebellionis plurima hoc loco occurrerent exponenda. Sed, quia neque Romanis Historiarum Conditoribus, ob discordiam notabilem & brevitatem inopinatam, fidei multum habendum est: neque Judæis Thraſonibus, etiam, ubi calamitates suas jactare solent, turpissimis, plane confidendum; malumus ad *Fosa a Lent.* de *Pseudo-Messis* utilissimum Libellum Lectores remittere, quam in re difficili operam ponere ambigam. Hoc facere non possumus, quin paucis, & veluti in transitu, mentionemus: Oppidi ביתר munitissimi, ut *Eusebius* vocat l. c. descriptionem, nomine tacito, apud *Dionem* seu *Xiphilinum* in vita *Adriani* nobis videri expressam, quando muro & cavernis subterraneis specus fodientes, atque cuniculis omnia munientes, quibus invicem sub terra clanculum commeare possent, habuisse Judæos narrat, easque specus & subterraneas vias superne quibusdam in locis hiantes ad ventos & lucem excipendam perforasse addit. Etenim quandoquidem nihil pene apud priscos, quod sciamus, Geographos, de oppido hoc ביתר *Bither* seu *Bether*, & ex sententia quidem Judæorum tam amplo & capaci, ut incredibilem hominum multitudinem caperet, meminimus observatum; fere in eam ingredi placet opinionem, ut specus et cavernas illas, arce fortassis quadam in cacumine imposita, finitas, usum illum & receptaculi & Collegiorum, de quibus in *Gittin* loquuntur, præbuisse nobis persuadeamus, locumque ביתר pro בית הרה contracta forma, quasi *Montem munitum* dictum fuisse credamus. In qua conjectura nos confirmat, quod aliquo-

quoties in Talmudicis nonnullis Exemplaribus pro ביתר scriptum reperitur ביתתר, geminato ת, alterumque adeo ex ת in formam ת male depravatum videri poterat. Quam conjecturam, uti nemini obtrudimus, ita Geographiæ antiquæ, si quid lucis afferre possit, studiose exponere visum fuit. Neque enim omnino eam quoque hypothesein, quæ a Beth Horon antiquissima Civitate deducit, rejectam volumus; utut difficilius cum Geographia & Historia conciliari posse existimemus. Nobis in præsens BERURIAM, eo tempore, cum hæc paterentur ejus populares, natam, & fortis miseræ atque arumnarum participem inter suos vixisse, satis erit, si, quod proxime demonstrandum erit uberius, heic utcunque intelligamus.

S. VII.

Illud autem ut pateat, GENITOREM ejus ante omnia investigare opus erit. Nec mora. Siquidem ad nauseam usque in monumentis domesticis eum ingeri & nominari videas רבי חנינה בן תרדיון *Rabbi Chanina fil. Tradion* Clarissimum Virum, & Celebrerrimum, non minus ob doctrinam, quam religionis sanctitatem; omnium vero maxime illustrissimum, propter memorabilem vitam Exitum inter suos Nomen. Plures quidem in gente Judaica Rabbinî חנינה dicti commemorantur alibi; hunc tamen unum præ ceteris ferunt in oculis, ut feriis quoque solemnibus, & jejuniorum stato die ejus sacram servant hodieque memoriam. *Chananiam* (חנניה) interdum quoque appellari, ut in *Babb. bathr.* f. 10. b. init. & in *Abboth* l. mox c. animadversum est, parum refert, & in Nominibus Judæorum hujusmodi mutatio quotidiana esse solet. Conf. Actor. IX, 10. & XXIII, 3. ubi summus Sacerdos, ὁ τῆς κεκοινασμένης idem gessisse dicitur. Neque etiam multum interest, si, quare *filius Teradion* cognominetur, indicemus; Factum enim illud est, ut ab aliis Doctoribus Talmudicis, & nominatim *R. Chanina*

B

nina

*nina* f. *Akibha*, *R. Chanina* f. *Dusa*, *R. Chanina* b. *Chamma*, *R. Chanina* b. *Abin*, *R. Chanina* b. *Chachina*, & similibus discerneretur. Unde vero nomen **הרדין** parentis, quod neque in S. Literis, neque alias in Judæorum scriptis temere invenias, ortum sit, non habeo dicere. Neque etiam memini apud Latinos illud unquam commemorari, nisi forte *Tetradium* huc referas, Virum Consularem, cujus in *Sulpitii Severi* c. XVIII. Vitæ S. *Martini* iterato reperitur memoria. Græcam certe magis, quam Latinam originem, etymologia atque terminatio vocis videntur significare. Non tamen est, quod Profelytum fuisse Chaninam, hinc suspicio oriatur, atque inde porro, si ita esset, *Berwriam* quoque pari censu habendam dixeris. Nam Græcis nominibus & Judæos ea tempestate usos fuisse frequentissime, ex sacris & profanis monumentis abunde constat; ac præterea, si Profelytus *R. Chanina* fuisset, nequaquam illud silentio præterissent Ebræi, perinde uti de *R. Akibha* & *R. Meir* aliisque isthoc identidem occinunt: Denique, pariter ac his Clarissimis Profelytis factum est, Parentis nomen potius omitterent, quam ut toties inculcarent Judæi, cum, uti ex *Bab. Jebhamm.* f. 98. a. *Maimonid.* in *Hilc. Issure Biab* docet, C. XIV. **כותי** וכל שנתגייר ועבד שנשתחרר הרי הוא כקטן שנולד וכל שאר בשר שהיו לו כשהוא כותי או כשהוא עבד אינו שׂאר כבשר וכי׳ h. e. *Si quis extraneus vel profelytus fiat, vel libertate donetur, Jure Judaico perinde æstimatur, uti recens natus infans, ita, ut nullos in gentilismo amplius agnatos & consanguineos habere credatur, neque qui fuerant antea, pro talibus habeantur imposterum.* Quæ, si absque prole decedat, ad heredem ex illa cognatione non admittendum, & alia his similia; immo ad incestum, etiam cum matre, post hanc **παλιγγενεσίαν**, sine peccato committendum, a Magistris petulantissime extensa & producta ibidem legas. Unde profecto multo magis

gis colligi poterit, nunquam hujusmodi parentem dignum fuisse Judæis habitum, quem cum filii profelyti nomine novo & sacro sancto conjungerent. Quemadmodum etiam nostris temporibus, si quos recipiunt ex Christianis apostatas, abrogato priori nomine gentilitio, sanctorum Patriarcharum, inprimis *Abrahami*, novam nomenclaturam iisdem imponere solent.

§. VIII.

Atque ita nihil amplius nobis negotii facefferet quidquam, quod, fuisse *Ebraam* gente *Beruriam*, & ex Ebræis natam, (qua prerogativa etiam Paullus sese effert Phil. III, 5.) dubios reddere posset; Nisi in ipsa Talmudis lectione nobis sese obtulissent loca duo, in quibus בלוריה foemina, non sine doctrinæ & ingenii notis, commemoratur, &, quod præcipuum esse putamus, prope iisdem temporibus, quibus nostra hæc בלוריה vixisse ex colloquentium cum ea *R. Gamalielis* & *R. Akibæ* ætate concluditur. Alter horum locorum in Cod. Rosch haSchichana f. 17. b. l. 28. sq. ita infit: הגיורת את ר'ג כתוב בתורתכם אשר לא ישא פנים ולא יקח שחד וכתוב ישא " פניו עליך ישם לך שוים נטפל לה ר יוסי הכהן אמר לה אמשול לך משל לה' לאדם h. c. *Beluria*, *Profelyta*, *R. Gamalieli* hanc aliquando difficultatem expediendam objecit: *Scriptum est*, inquiebat, *in lege vestra* (Deut. X, 17.) Non attollet Dominus faciem suam, neque accipiet munus. At (Num. VI, 26.) *legitur*: Attollet Dominus faciem super te & largiatur tibi pacem. (Quomodo hæc conciliabis?) *Accessit* mox *R. Jose* Sacerdos aitque mulieri: *Simili tibi quodam rem omnem explanabo: Nempe res hæc ita comparata est, quemadmodum, si quis alteri summam pecunia mutuo det, terminumque solutionis interposito jurejurando coram Rege præfigat, quo*

adventante, quando præstare solutionem non possit, Regem deprecetur, ubi, si contentus esse velit Rex, jubere tamen eum non intermitteret, ut socium quoque, cui debet, sibi conciliet &c. Intercessit denique *R. Akibha* aliaque distinctione scrupulum e via removit &c. Neque enim vacat integram disputationem describere, quam *B. Wagenfeilius* in *Sota* c. III. p. 435. nihil horum dubiorum attingens repetiit. Alter vero Talmudicorum locorum in Bab. *Jebbamm.* legitur f. 46. a. l. 4. sq. ubi de baptismo servorum ad libertatem obtinendam sermo est, & narratur

מעשה בכלוריא הגיורת שקדמו עבדים וטבלו לפניה וכנה מעשה לפני חכמים ואמרו קנו עצמן לכני חורין לפני לא *i. c. Historia de Belurja, Profelyta, circumfertur, quam, antequam ipsa initiaretur baptismo, hunc ritum subeuntes anteverterant servi: quo facto, cum ad sapientes deferretur questio, illi pronunciarunt; hos servos, si ante Heram abluti essent, quodammodo seipos in libertatem hac ratione & ritu hoc suscepto vindicasse, secus autem, si post illam id contigerit, statuendum esse.* Enimvero brevissime expediri potest hæc objecta difficultas, si, quod primum nobis quidem venerat in mentem, non a Marito Profelyto forte Profelytam fuisse hanc *Beluriam* appellatam dicas, (confer infr. §. XV.) sed aliam omnino & a nostra *Beruria* prorsus diversam statuas. Quod non Judæi solum nobiscum omnes firmiter sibi persuadent; verum etiam nomen כלוריא ab altero כרוריא, una quidem, at notabili litera, differt, & constanter utrumque, ea observata nominis differentia, exscriptum legitur. Ne quid dicamus, quod, discriminis indicandi causa, nostra fere perpetuo Uxor *R. Meir* cognominatur, totaque familia ejus passim recensetur, cum de hac *Beluria* nihil extet usquam, nisi nomen duntaxat, ac denique ætas nonnihil nostræ *Beruria* celebritatem anticipare videatur. Interim, ne frustra in scenam illa h. l. produ-

docta sit, novo exemplo, utut non nata, quippe externa, ex nativitate si allimetur, at tamen adscitæ, ritu solemnî. in Judæicam societatem, foemina non indocta, hæc ipsa *Beluria* esse poterit. Quæ observatione præmissa e diverticulo in viam progeniem que nostræ *Bevuria*, amplius explicandam illustrandamque, revertimur.

§. IX.

Nimirum, cum triplex paullo ante laudis genus de Parente ejus *R. Chanina* f. *Traditionis* commemoratum fuerit, *Eruditio*, in Deum *Pietas* (ex sententia Judæorum) *Vitaq. exitus* in primis memorabilis, huc animum nunc denuo convertemus. Eruditio- nis argumenta conquirere nihil opus est; quandoquidem Illustres in ea gente tituli **תלמיד חכם**, itemque *Rabbini*, haud dubie per **סמיכה** h. e. solennem *manuum impositionem* promoti, ac denique præcipua **רש תנא** Appellatio, seu inter **תנאים**, *Mischnicarum Traditionum Custodes*, connumeratio atque inde promanans non vulgaris dignitas satis superque eam testatam faciunt. Atque hinc non est necesse, ut præceptorem doctissimum *R. Simeon* f. *Eliefer*, cujus **הבר** vocatur, & *R. Akibba* condiscipuli societatem scholasticam urgeamus. Eo certe factum, ut inter excellentissimos quoque Patres ei locus in **פרקי אבות** c. III. §. 2. datus sit & dictum notabile sequens tribuatur: **שנים**

**שיושבים ואין ביניהם דברי תורה הרי זה מושב לצים**  
**שנאמר וכמושב לצים לא ישב אבל שנים שיושבים ויש**  
**ביניהם דברי תורה שכינה ביניהם שנאמר או נדברו**  
**יראי ה' וכו' h. e. Si duo una consideant, neque de verbis legis**  
**inter eos sermo sit; ecce confessus hujusmodi habetur pro con-**  
**fessu irrisorum: quia dictum est Ps. I, 2. & in sede irrisorum**  
**non sedet. Contra si duo consistentes una de verbis legis con-**  
**sultentur, Schechina inter eos prasens esse creditur, vi verbo-**  
**rum Mal. III. Tunc timentes Dominum colloquantur dicantque &c.**

Ob eandem causam sine dubio ei *R. Gedalia* in *schalsch. bakkab.* f. 29. (a) init. LXX. linguarum noticiam adscripsit, æque ac *R. Akibhæ*, quod & Talmudistæ in Assessoribus Synedrii Maximi omnibus in *Menach.* f. 65. a. alias requirunt. Quod tametsi aliquid iactantiæ Judaicæ olet, tamen, quo loco inter suos fuerit, condocesfacere potest. Adderemus adhuc alia, quibus auctoritatem illius non postremam, in dubiis quæstionibus definiendis, inter Talmudicos Doctores, demonstrare in proclivi esset; sed cum totius gentis consensus, pro doctrina hujus Viri hodieque celeberrimi, allegari queat, inanem operam his ambagibus ludere nolumus.

§. X.

De pietate morum autem hoc lubentius singularia nonnulla adducere non pigramur, quoniam Muneris quoque Ratio, quo defunctus est, hinc apparebit. Narrant enim populares in *ו'ע Babil.* f. 17. b. med. & in *Babb. Bathr.* f. 10. b. l. 10. sq. ea fuisse virtute atque sanctitate, quasi eximia, quam חסידות illi appellare solent, ut, ne quid adversus religionem fieret, stipem collectam, cujus administratio ipsi credita fuerat, scrupulose, permixtam forte cum nummis alius generis ac usus, redintegrevit, dubiamque pecuniam de suo ære compensavit. Ita enim habent *l. c. de Idololatr. Tr.* verba: לא יעזוב בן יעקב אומר לא יעזוב בן יעקב מעותיו לארנקי של צדקה אלא אם כן ממנה עליו תלמיד חכם כר' חנינה בן תרדיון ח'מנורה הוא דהוה מהימן מעבד לא עבד והתניא אמר לו מעות של פורים נחללפו לי במעות של צדקה וחלקתם לעניים מראכד עבר כבער ליה לא עבד. Quorum sensus est: *R. Elieserem filium Jacobi dixisse: Neminem debere nummos suos in saccum elemosynarum reponere, nisi, qui preest, Vir Doctus sit, qualis fuerat R. Chanina f. Tradion.* Obj. Tantum ei fidei habitum, quod probatus fuerit & notissima fidelita.



litatis; At de suo nihil reddidisse legitur. Resp. Atqui alibi memoria proditum est, hunc R. Chaninam ipsum aliquando dixisse: Nummi, quos habebam ad Festum Purim instruendum, destinatos, aliquando cum aliis in pauperum usum distribuendis mihi comutati fuere, quos cum promiscue erogassem, neque etiam festo quicquam decedere vellem, restitui de meo, Exc. Quamquam reddiderit de suo, non tamen ut par erat satisfacit officio &c. Equidem non approbasse isthoc factum per omnia omnes, videtur ex his verbis inferri posse; Sed, si *παροξινον* in *Babba Bathra* narrationem comparare placeat, facile patebit, inter gesta Viri hujus laudatissima eam sollicitudinem connumerari, atque in super, ex priori loco, verbisque antecedentibus discas, ejusdem R. Chanina modestiam haud vulgarem prædicari, in colloquio cum R. Eliezer f. Partæ demonstratam. Verum quia hoc in præsentem non agimus, hæcenus in eo acquiescimus, quod tanquam maximæ eximiationis Doctorem aliisque in exemplum proponendum Judæi illum venerantur, & quod *Beruriz* quoque in honorem cedit, munere *זוכר צדקה*, uti R. Abr. Sachub. in *Juchos* loquitur, sed, quæ R. Salom. in Glossa verba sunt, *זכאי צדקה* h. e. *Theaurarii & Collectoris Eleemosynarum* perfunctus legitur: Quam quidem dignitatem publica Senatus auctoritate, non nisi *אנשים ידועים ונאמנים* h. e. *Vires explorata Fidei* gessisse Maimonid. in *Hilc. Anijim* c. IX, §. 1. sqq. cum aliis pluribus docet, & res ipsa confirmat.

§. XI.

Restat, ut, quemadmodum finem quoque vivendi fecerit, studiose enarremus: unde plurimum hodieque laudis in ipsum patrem filiamque splendoris apud Judæos exsurgit. Illud ergo, ut quam brevissime, sed præfiscini, & ex Christianorum consuetudine, *κατ' ἀναλογίαν* edisseram: *Martyrem fuisse dicemus*; dumodo causam a passione probe distinguendam esse mo-

nea-

neamus. Subiit autem hoc fatum & funestum mortis genus, eo circiter tempore, quo Judæorum res, quibus illi consulere studebant variis machinationibus, pessime habuerant, & quidem, uti disertis verbis id affirmat *Sachubus* in *Fuchas*. f. 31. a. l. 24. sq., עקיבא מיד אחר ר' confestim post R. *Akibham*: quem itidem, tanquam armigerum *Ben Cosba* ultro factum, & decrepitum jam senem, cum aliis captum atque כרול במסרקאות *peccinibus* ferreis dilaceratum occubuisse a Judæis in *Berach*. f. 61. b. traditum est. Supplicium, quo periit, uno ore *Pivicomburium* fuisse ajunt, totamque historiam ut ex *Gem. de Idololatr.* repetamus, videtur esse operæ pretium. Memorant nempe, postquam R. *Jose filio Kisma* exequias iverant Magnates כחורתן מצאוהו לר' חנינה בן חרדין שהיה יושב ועוסק בתורה מקהיל קהילות כרבים ומפר חורה מונח לו בחיקו הכיאוהו וכרכוהו והקיפוה בחבילי זמורות והציתו את האור והכילו סיפונים של צמר ושראים במים והניחום מהר על לבו כדי שלא תצא נשמתו מהר *h. e. redeuntes incidisse in R. Chaninam Tradionidem eumque deprehendisse sedentem occupatumque in docenda tractandaque lege cætusque publicos eum in sinem congregantem, ita ut librum legis in sinu repositum haberet: eoque facto adductum in judicium, aut ductum potius ad necem, Romanos illum involvisse Legis volumini, fasciculisque palmitum circumdatum concremasset luce, h. e. igne succensio* (Conf. Luc. XXII, 26. πρὸς τὸ Φῶς) & ut mori se sentiret, spongias ex lana, humectatas aqua, imposuisse pectori &c. Quibus addatur l. c. filiam hoc statu tristissimo Patrem spectasse, fortemque ejus deplorantem, responsi loco a Parente tullisse: Si solus ipsemet combureretur, duram fortassis videri posse conditionem; jam vero, ubi cum Libro legis flammis subjiçiatu, recertum se esse, Deum injuriam hanc legi illatam graviter ulturum. Discipulis vero, quid cerneret oculis, interrogantibus, ajunt,

re.

respondisse *Chaninam*; se videre **נשדך בלין** h. e. *pergamenam ardere chartam*, literas autem, quibus lex scripta esset, avolare. Denique os aperire noluisse, etiam ab iisdem monitum, quin potius, donec animam Deus auferat, se expectaturum, addunt dixisse, & quæ sunt alia hujusmodi. Quæ, utut nolim in universum omnia asseveranter tueri, ita evenisse, non tamen etiam ausim simpliciter pro figmentis meris vendicare. Tantoque minus negare omnino velim, quanto notius est memoriam eventus illius ad hunc usque diem singulari *Fejunio*, quod in XXVI. Iucem Mensis Sivan mediumque fere *Junium* nostrum incidit, anniversaria solennitate Gentis Judaicæ recoli: uti vel ex Indice *Juniorum*, a Cl. *Relando*, P. IV. Antiquit. Vet. Hebr. c. XIII. sub-  
 texto, perspicere licebit.

§. XII.

Non possumus autem, quin hac occasione etiam de reliquis, eadem Martyrum Legis, ut ita loquar, dignitate conspicuis, quædam adjiciamus. Quorum primum est: Judæorum phrasi & formula *שׁוֹטְאֵדְרֵס* hujusmodi **מלכות הרוגי** h. e. *Occisos regni* solere nominari; Non, quia a Regno Romanorum, uti alicubi *Bartoloccius* T. II. Bibl. Magn. Rabb. videtur sensisse, necati sunt; sed eo, quod *propter Regnum Dei* obtruncati interierunt: quemadmodum idem mente mutata T. III. in Catalogo Doct. Mischaicorum rectius statuit. Neque tamen, quasi revera pro Regno Messæ mortem cruentam oppetierint, ita appellatos liquet, sed, quia sua opinione decepti, spem Regni Christi mundani præconceptam tuentes, quale ad palatum Judæorum esset, non reformidarint tormenta exquisitissima pati & sustinere. *Deinde* notamus, summam esse inter Ebræos, & perhonorificam hujus passionis Gloriam. Id quod partim ex eo colligimus, quod, ut de *Tradionida* nostro jam observatum est, ita similiter ceterorum sodalium sancte celebratur d. 25. *Sivan*, eo nempe, qui illum *R. Chanina* sacrum diem proxime præcedit, memoria:  
 C partim

partim vero & generatim ex *Maimonidis* Judæorum doctissimi testimonio, quippe quo Judice **אין מעלה כמעלתא** h. e. *nul-  
lus est in Synagoga honor. aut decus, in Gente illa, huic uni equi-  
parandum*: uti in *Hilc. Talm. Toræ* c. V. §. 3. loquitur. Ut pro-  
fus adeo verosimile sit, *Christianorum Martyrum Natalitia* vo-  
luisse eo ritu Diabolum, Dei simiam, hac quoque in parte imi-  
tari. Ad *postremum* denique, præter nostrum *R. Chaninam*, ad-  
huc novem celebrari monemus id genus Martyres, quos eodem  
honore dignantur. Nominatim *Rabban Simeonem* f. *Gamalie-  
lis* Sen. qui periisse dicitur in urbis desolatione. 2.) *R. Ismaelem*  
f. *R. Elisæi* Sacerdotis summi, de quo pauca singularia annales  
produunt. 3.) *R. Chananiam* f. *Chachinai*, *Sagan*, seu summi Sa-  
cerdotis Vicarium, de cetero autem itidem obscurum. 4.) *R. Akib-  
ham*, de quo *Pectinibus ferreis* lacerato supra, & ad nauream in  
*Judæorum Libris* passim; Egregium vero Martyrem, rebello-  
ne dignas pœnas juste luentem fuisse, *historiarum* documentis  
satis compertum est! 5.) *R. Judam ben Babba*, quem narrant,  
contra interdictum Romanorum, quinque Rabbinos, manibus ri-  
tu solenni impositis, in campo aperto ordinantem, & *ex auro* *quæ-  
re* deprehensum, maxima crudelitate esse trucidatum. Vid. inf.  
§. XX. 6.) *R. Judam* f. *Thima*, seu, ut ab aliis vocatur, f. *Dama*.  
7.) *R. Elisærem* f. *Schammua*. 8.) *R. Chozephath* *Textus Ebræi*  
*Interpretem* seu **תורגמן**. 9.) *R. Foschebbabh הסופר* scribam,  
quem canibus objectum tradunt. Atque horum quidem alios  
ante Tumultus novos sub *Ben Cosba* exortos, alios vero postea  
demum ajunt sublatos; licet nec tempus determinare pressius  
austint, neque causam unam vexationis, aut prohibitorum cul-  
tus sui exercitiorum, allegent: aliis quippe *Legis publicam ex-  
planationem*, aliis vero ordinationem Rabbiorum, alleganti-  
bus, ac ipso denique *Spartiano*, quod *vetabat Cæsar mutilare*  
*genitalia*, perhibente. Ex quibus tricus & ambagibus emergendi  
quoniam prope spes omnis decollat, his missis & Lectore ad  
*Maim.*

*Maim. Præf. in Sed. Seraim, R. Abr. Sachuth in Juchasin, R. Gedal. in Schalchel, hakhabb. & R. D. Ganz. in Zem. David ad A. 3880. a M. C. ablegato, fatius erit ad alia progredi & in viam redire.*

§. XIII.

Nempe MATER BERURIE, ἀνέμου licet, in eadem violentæ necis paternæ Historia memorata, jam nobis occurrit paucis consideranda. Quando enim l. c. *Tr. de Idololatr.* recitant, quæ supra de Vivicomburio *R. Chanina*, una cum Volumine legis, inde excerpimus, causam ejus rei investigaturos simul observare jubent Magistri, malum istoc accidisse non sine singulari providentia Numinis, propterea quod Bonus ille Vir Divinum Nomen τὸ θεῖον ὄνομα non pro eo, ac par erat, religiose satis tractarit; sed, quæ verba sunt aliquoties laudati *R. Abr. Sachuthi in Juchas. f. 31. b. שהיה מלמד השם* *discipulos suos id pronunciare seu usurpare docuerat palam & publice*, non docendi gratia: quem in finem alioqui id efferre licitum erat. Vid. *Gem. Saohedr. f. 68. (a) fin. &c. Quod* tamen alii, & ipse quoque *Raschi in Gloss. de Kabbala practica*, & imprudenti illius cum discipulis pestilentissimæ artis communicatione interpretantur; quam scilicet clam haberi statuunt Magistri necesse esse, & summa etiam ope nituntur male sibi conscii Impostores. Quod si ita comparatum fuit, hallucinationem istam pro causâ lamentabilis exitus remotiori, Deumque, ut graviora in eum statueret, pro merito disponente habent. Verum non Patri solum id male cessisse affirmant; sed etiam Matrem pœnam ajunt ejus rei luere oportuisse גורו על אשתו להרינה *condemnatam nempe ad capitis amputationem*; idque ideo, דלא מיחה ביה *quia non impediverat maritum*, cum potuisset ac omnino debuisset prohibere. Addunt ibidem & filiam alteram, *Berurie nostræ Sororem*, eadem, uti videtur, de causâ, & justo pariter divino judicio לישב בקובא *in lupanar detrusam*; eam vero non sine *Miraculo*, של זכוות partim

partim largitionibus & corruptionibus custodum, partim Kabalæ itidem practicæ h. e. Magiæ beneficio, jam tunc valde inter Judæos frequentatæ, postquam illibatam conservaverat pudicitiam, a R. Meir Affine, non multo post, liberatam suæque incolumitati restitutam esse. Quæ copiose legi possunt in *Y Bab. f. 16. & 17.* totis, multoque nunc commodius conferri possunt, postea quam luculenta versione donata illa omnia Cl. Vir G. E. Edzardus erudito orbi exposuit. Nobis ea adduxisse jam satis fuit, quibus familia *Beruria* & fata ejusdem utcumque illustrari poterant.

## §. XIV.

De Loco atque Regione, ubi hæc contigisse perhiberi possit, nova difficultas oritur. Nam, si, quæ de R. Meir ejusque fraudibus & artibus, fuga denique atque effugie portæ Civitatis Romæ affixa, cum proscriptione illius solemnī, & similibus, narratur, cogites, non temere conjecturam facere liceat, in ipsa *Italia*, isthæc cuncta esse gesta. Enimvero solvi poterit sine labore nodus, dummodo intra Romani imperii terminos, cui magna Orientis pars tunc parebat, facta hæc esse intelligas: quod & fuga *R. Meir* in *Babyloniā*, proximam *Palæstinæ*, evidenter comprobatur, & aperte fati in *Juchasin* f. 31. a. l. 23. ex *Talmudicis* fontibus, docetur, nominato etiam oppido, in quo R. *Chanina* tunc commoratus erat. Ita enim l. c. *Sachinibus*: ר' חנינא בן תרדיון לסיכנין ונשרף בספר תורה h. e. R. *Chanina* f. *Tradien* erat *Sicania*, & combustus est cum *Libro Legis*. *Sicanin* enim corrupte scriptum, ita ut forte סכניא præmisso ב pro ל legendum sit, nomen loci esse, tum ex eodem auctore constat, qui mentionem illius pagi vel oppidi f. 58. a. palam facit, tum etiam ex *Abb. Sara Bab. f. 27. b. & 17. b.* patet, ubi *Jacobus* discipulus *Jesu* nostri איש כפר סכניא h. e. oriundus ex pago seu vico *Sechania*, uno verbo *Sechanienfis* dicitur. Quæ cum ita sint, in *Galilea*, ubi *Sechania* situm fuisse, probabiliter statuitur, & Genitorem & Genitricem,

cem, atque hoc etiam tempore, quo periisse parentes nece violenta feruntur, Filiam quoque utramque vixisse affirmatur. Nisi jam tunc in matrimonium collocata R. Meir fuerit, uti ex Tr. de Idolol. f. 18. b. apparet, quippe quo loco, quando dixisset marito perhibetur, **וילא כי מילתא דיתבא אחותאי בקובא** זילא של זונות h. e. *ignominiosum sibi esse, quod soror sua in lupanari sedeat*, non obscure innuitur, jam vivo patre Beruriam eum eodem nuptias contraxisse, de quibus §. XVIII. pluribus ageudi locus erit.

§. XV.

Cognita tandem Berurie profapia & Gente, ordinis lege requiritur, ut de EDVCATIONE & in studiis literarum INSTI-  
TUTIONE nonnulla subjungamus, quæ, fateor, ceteris haud paullo minus sunt obscura. Nam cum alias vagabundi esse soleant Judæi, tum vero maxime hac tempestate quodammodo ut exules in patria spectandi veniunt. Attamen, quantum ex Monumentis Judæorum indagare magna industria potuimus, verosimillimum est Tiberiade, & in vicina huic Academia Zipporis, ad Lacum גניסר Genezareth, a quibus non procul distita fuit ad סכניא paullo ante memorata, vixisse. Erant enim hæc, & præcipue Tiberias, jam tum post celeberrimum Fabnense Athenæum, palæstræ Occidentalium Judæorum & Palæstinorum primariæ, & isthæc quidem Patriarcharum sub Imperatoribus Romanorum, longo post tempore, constans ac inde a R. Jehuda sancto ordinaria sedes; ubi Mischna pariter & Talmud Hierosolymitanum conscripta fuisse, circa sec. II. & III. confirmatur. Id quod confirmant, quæ de R. Jose f. Kisna Charine nostri familiarissimo, in ז"ו f. 15. a. habentur, ubi *agrosantem illum hic visitasse dicitur* (הלך ר' חנינא תרדיון לבקרו) & cum mortuus sepultusque esset in reditu, vid. §. XI, deprehensus atque ad supplicium raptus legitur; quem tamen R. Jose (ר' יוסי בן קסמא היה בטבריא) Tiberiade vitam transe-

gisse a *Sachuto* f. 31. (a) in *Fuchasim* clarissimis verbis affirmatur. Nec obstat, quod *R. Meir* alibi videtur, uti infra ostendemus, cum suis vitam degisse. Namque de educatione literata solliciti, isthæc conjugii fata, posthac consequentia, nunc parum curamus, & ne de *R. Meir* quidem omnino, constans ne alibi domicilium fixerit, an *Tiberiade* & *Zippori* aliquandiu etiam, (frequenter certe cum *R. Juda sancto* discipulo erat ibi conversatus,) habitaverit, pro certo affirmare audeamus. Natam vero in *Galilæa* vix ausim asseveranter tueri, quoniam, ceu §. XIIX. videbimus, ipsa satis petulanter eruditum aliquem Rabbinum, non sine contumeliæ testificatione, *Stultum Galileum* vocare haud verrecundata est. Ut adeo in incertis hoc, quicquid est dictum de habitaculo, ponendum sit.

## §. XVI.

Sed quoquo modo ea se habeant, in *Scholis* utique *Palestina* imbibisse, qua postea exsplendescere coepit, eruditionem, nemo, opinor, abnuet, & quidem, tum parentis privata informatione, tum Mariti consuetudine, tum vero etiam sui ipsius studiosa cultura, atque diligentia inter *Judæos*, eorumque judicio, incomparabili. Ita sane de *Beruria* satis magnifice sentiunt & loquuntur *Tribules*, ut vix de quoquam celeberrimorum *Magistrorum* grandiora pronunciare possent. Neque enim de ullo eorum annotatum memini, quod *R. Sachutus* de nostra in *Fuchasim* f. 31. (b) profiteretur, **גמרה של מאורת שמעתתא** *didicisse eam*, inquit, *trecentas audiciones*, seu traditiones *Mischnicas* a Majoribus acceptas, a *trecentis Doctoribus publicis* *brumali tempore*, seu una *hyeme*. Unde efficitur, quod antea studio omiseramus, non solum privatos inter parietes, sed publicis etiam *prælectionibus*, in *scholis*, incrementa notabilia literarum *Beruriam* accepisse. Certe ex his verbis non temere id colligi posse vero quam simillimum etsi sec. instituta *Judæorum* rarum est.

## §. XVII.



§. XVII.

Enimvero, cum ex *Gem. Bab.* hæc petita sint & deprompta, dignus esse videtur locus, qui plenus & integer, ad rationes discendi *Beruria* certius pernoscendas, tum etiam ob alia quædam notatu non indigna, exscriptus Lectori exhibeatur. Extat ille in *Pesach.* f. 62. b. l. 15. fqq. verbis hunc in modum conceptis:

ר' שמלאי אתא לקמיה דר' יוחנן אמר ליה ניתני לי מר  
ספר יוחסין א"ל מהיכן ארת א"ל מלוד והיכן מותבך  
בנהרדעא א"ל אין נידונין ללודים ולא לנהרדעים וכ"ש  
דאת מלוד ומותבך בנהרדעא כפיי' וארצי א"ל ניתניא  
בתלתא ירחי שקל קלא פתק ביה א"ל ומה כרוזי  
דביההו דר' מאיר ברתיה דר' חנינא בן תרדיון דתניא  
חלת מאה שמעתיחא ביומא מתלת מאה דיכוותא וא"ה  
לא יעתה ידי הוכתה בתלתשני ואת אמר בתלת ירחי וכ"ר

*h. e. Adiit aliquando R. Schamlai R. Johannem dixitque ad eum: Edoceat me, quaeso, Dominus Genealogiam: Resp. illo & interrogante: Cujas sit? Lyddensis sum, alter inquit. Eoque porro instante: Quis autem locus sit habitationis? Ille Nehardeam esse regessit. Tum R. Johannes: Neque Lyddenses, neque Nehardeenses docere solemus; Multoque adeo minus Te, qui Lydda natus, Nehardeæ domicilium habes. Ille vero instando animumque ejus tandem flectendo sibi conciliavit; sed rem omnem iterum perdidit, rogando; Ut spatio trium mensium hæc tradere non gravaretur. Ille enim. (R. Johannes) eo audito gæbam apprehensam manibus in R. Schamlai projecit, cum indignatione addens: Nunquid audes, homuncio, istoc postulare? Annon notum est: Beruriam Ux. R. Meir & filiath R. Chanina Tradidit trecentas avay. docet, seu prælectiones hujusmodi eruditorum, una die (hyeme, ut alibi explicatur,) ex trecentis Do-*  
*ctori-*

etoribus didicisse, & tamen constat eam non putasse, quod suo  
 tribus integris annis satisfecerit officio. Et tu, pessime audes ex-  
 poscere, ut tres intra menses hoc negotium absolvatur, quo  
 Genealogicam tibi scientiam tradam. Abi in malam rem &c.  
 Curiosum profectum inter Præceptorem & discipulum collo-  
 quium, arrogantiaque Pharisaica luculentum indicium; sed, fateor,  
 elegantissimum pro Beruriaz, in gente sua, cognita celebrataque  
 inter omnes diligentia, studiisque ejus amplissimum testimonium.  
 Quomodoenim de quibusdam *אבסאסורי* sentias, illud  
 tamen inde palam est, constanti fama percubuisse, non segni-  
 ter & oscitanter, sed summa contentione in literis eam versatam,  
 neque longo tempore ardorem sciendi restinguere potuisse *Be-  
 ruriam*, atque brevi denique ita profecisse, ut Magistris ex-  
 cellentissimis in opprobrium objici potuerit. Quod reliquum  
 est, ipse quoque Titulus *ריבנותא*, si quidem de perso-  
 nis capiendus sit, ut vulgo Judæi solent & præcedens *מתלת*  
 confirmat, satis liquido indicat, *Beruria* præceptores Palæsti-  
 nos fuisse Magistros, & haud dubie, uti supra observatum est,  
 Tiberienses, quoniam istac forma Occidentalibus, h. e. qui in  
 Sancta Terra gradum Doctoris susceperant, proprius fuerat,  
 neque exteris conveniebat; sec. illud R. *Samuel. in Hal. ch. Olam*  
*Tr. l. c. 3.* כל רב ומר מכבל וכל רבי מארץ ישראל וכו'.  
 Quod de *ריבי* similiter in Aruch Mai. Voc. *אביי* annotatum  
 legitur, & Hebræorum nemini ignotum esse potest.

§. XVIII.

Quibus præmissis, more nobis recepto, ad CONJUGIUM  
 progredimur. Quod quidem, tamen, quo anno ætatis initium  
 sit a juvenula, ut consuetudo fert Judæorum, definire non  
 valemus; tamen & Vivo adhuc Patre nuptui collocatam esse supra  
 conjecturam fecimus, & *Maritum*, Virum inter ceteros Rabbi-  
 nos tunc temporis Celeberrimum, R. MEIR nominare possumus.  
 Vidimus sane & meminimus præcedenti segmento, *ברוריא*  
*דביתהו*

מאיר ר' דביתהו דר' *R. Meirs Hausß Ehre oder Hausßfrau*, stylo  
 Hebr. cognominatam; sed etiam in ע"ז l. c. ubi lamentabilis  
 exitus Parentis fuerat enarratus, additur, quasi fama utriusque  
 & claritas lucem hinc peterent: **ברוריא דביתהו דר' מאיר**;  
**ברוריא דר' חנינה בן חריון הואי אל** Beruria Ux. R.  
 Meir f. R. Chanina &c. *dixit ad maritum* &c. Quæ de sorore  
 agentia jam supra sunt adducta. Et pæne nusquam in Talmude, aut  
 Chronicis Judæorum, ejus legitur nomen allegatum, quin Conju-  
 gis simul fiat mentio, & **אשת ר' מאיר** statim adjectum compa-  
 reat. Illud autem non de nihilo erit, si, quis fuerit *R. Meir*, cujus  
 hæc foemina radiis magis eluxit & coruscavit, significemus. Erat  
 nempe Illustris ille Doctor, gente, uti Judæorum habet traditio  
 constans, Romanus, & ex familia *Neronis* cujusdam natus, quem  
 l. c. consueta audacia **קיסר** appellant Talmudistæ, quique, ceu  
 ferunt illi, jam ante excidium, Urbis & Templi, Vespasianeum,  
 Sacra Judaica amplexus sit. Neque quisquam id vocat in du-  
 bium, qui vel a limine Judæorum historiam literariam salutavit;  
 in ipsa vero Gem. Bab. in *Cod. Gittin.* id recensetur fuse: Ubi post-  
 quam de eodem *Nerone* alia fabulati erant, denique eundem  
 transfugam & profelytum factum esse ajunt, verbaque **ונפק**  
**מאיר** h. e. *ex eo sanguinem ducere* *R. Meir* adjiciunt  
*וְסֵי עַי פִּיפְדָּא*. *R. Ganz* autem in *Zemach David* A. 3881. a M.  
 C. sac. computationem Judæorum, consentiente *R. Abraham in*  
*Fuchasim*, planissime confitetur, **זנר צרקה היה כמו ר' עקיבא**,  
**רבו והוא מבני בניו של נירון כדאיתא בפרקו ניקוקו**  
 h. e. *Idem R. Meir Profelytus justitia fuit, perinde ut R. Akibha*  
*Præceptor ipsius: De reliquo Nepos erat Neronis, uti habetur*  
*in Cap. ניקוקו*. Eadem author *Schalscheleth hakkabb.* repetit,  
 & omissum quoque Parentis nomen id ipsum subindicare, jam  
 supra, ex consuetudine Judæorum, ostensum est: ut alia omit-  
 tamus.



## §. XIX.

Non autem est, quod mireris, funesto hoc tempore Judæis sese tantum Profelytorum numerum adjunxisse. Namque Tacito auctore, & Suetonio quoque teste, quorum uterque æquales fuerant & σύγχοροι, Pluribus tunc *persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectique Judæa rerum potirentur* Hist. L. V. c. 13. Eamque *opinionem veterem & constantem, oriente toto percrebuisse, Tranquillus* ad verba Taciti addit. Ubi, si accessissent persuasiones blandæ, tum vis etiam, quando felicibus interdum auspiciis adversus Romanos pugnassent, adhibita; quid est, cur dubitemus, quosdam etiam ex Christianis, discedentes transfugas, inter illos nomen esse profectos? Qualis & *Aquila* interpres procul dubio fuit, homo in dies mutabilis, & nostra sententia ab *Onkeloso* Judæorum minime diversus, sed ex eo, corrupto nomine Latino, formatus. Parachronismi enim Judæorum quōtidiani sunt. Violentiam autem, quo minus prætereundam putemus, *Justini Martyris* testimonium postulat, quippe qui Apol. I. ad Anton. *Proximo bello Judaico Barcochebam τὸν τῆς Ἰουδαίας δασιδῆως ἀρχηγόν* solos Christianos ad gravia supplicia, nisi Christum (Jesum puta Nazarenum) abnegarent & maledictis incesserent, pertrahi jussisse, explicite scribit. Plura non addimus, sed redimus ab excursu instituto & peracto, eo, unde digressi sumus.

## §. XX.

Potiora enim hisce consideranda præsto sunt, & nominatim quidem MUNUS Doctoris istius spectabile, a cujus dignitate & ipsa *Beruria* participavit. Nempe, quoad ex Pandectis Talmudicis & Chronographis Judæorum de eo constare potest, singulari fato, a supra nominato *R. Jehuda f. Baba*, sub dio imposita manu, ordinatus cum aliis, (sicuti habetur in *Sanhedr. Bab. f. 14. a. l. 9. sq.*) posthac ad istud fastigium conscendit, ut digni-

dignitate  $\tau\tilde{\alpha}$   $\text{כֹּהֵן}$  *Sapientis*  $\text{נֹאֵלֵי־עֹלָמָה}$  tandem emlneret in Sy-  
nedrio: ea tempestate, qua reliquæ illius, aut umbra quædam,  
ad tempus, Romanorum indulgentia, post Excidium Urbis su-  
pererant, & quidem Præsides tunc existente *R. Simeone III. fil.*  
*Gamalielis II.* atque res suas in *Uscha* & *Sepharum* habente.  
Fuit autem iste *Sapientis* honor & Locus in Senatu Tertius, Eru-  
ditissimo Assessorum tribui solitus, qui Præsidis sinistrum latus,  
in solemnî confessu, dimidium circulum seu aream repræsenta-  
te, uti tradunt, claudebat. Insignis ea de re locus, quo etiam  
fusus hoc, quicquid est, exponitur, in Bab. *Horajoth* f. 13. b.  
fin. habetur, ubi  $\text{אֵךְ בֵּית דִּין}$ , qui proximus a Præside in dex-  
tro latere confidebat, *R. Nathan* tunc fuisse asseritur. At mi-  
nus honorifice, cum de *R. Meir*, tum de altero illius Collega me-  
moratur, quemadmodum horum uterque, & præcipuus quidem  
consilii auctor *R. Meir*, arroganter admodum & malevole adver-  
sus *Rabban Simeonem* se gesserint. Cum enim par omnibus  
tribus, tanquam Capitibus Senatus, ad cujusque ingressum, ho-  
nor assurgendo exhibitus esset, accidisse ajunt, ut *R. Simeon*,  
quorundam instinctu, & discriminis, inter Præsidem & Assessores,  
constituendi ergo, juberet, ne quis istis adventantibus hanc re-  
verentiam amplius exhiberet, folique adeo præsidî is servaretur.  
Ibi enim factum esse ferunt, ut omnium ægerrime illud *R. Meir*  
passus, tanquam superciliosus homo, secum constitueret, & *R.*  
*Nathanem* eo quoque induceret, ut decerneret secum, quæstio-  
nibus se intricatis, quas Præsides ille  $\text{\sigma\mu\kappa\rho\tau\epsilon\rho\varsigma\ \tau\omicron\nu\ \nu\epsilon\nu}$  discutere  
non posset, exagitare eum velle, atque ita ignominia publica no-  
tatum ludibrio omnium exponere. Ita quippe fore sperabant,  
ut, dejecto a fastigio summæ dignitatis *Simeone*, alter ad Præ-  
sidis gradum supremum conscenderet, alter vero proximum ei  
locum occupare posset. Ejus vero consilii, palam facti, Talmu-  
distæ observant, hoc præmium ambos tulisse, ut ne quidem inter  
*Miscnicos* nomen alterutrius exprimeretur amplius; sed *R. Meir*

vocabulo אחרים, *Alii*, & *R. Nathan* formula יש אומרים *Sunt*, qui dicunt, intelligendi sint, hoc modo, quasi perpetua infamiae nota iniusta, designandi. Comparari possunt, praeter alios, quae *R. Samuel* in *Halich, Olam* f. m. 228. l. 3. sq. ed. l'Emper. & c. III. f. 21. sq., in hanc rem congescit, ubi etiam scrupulos motos, utrum perpetuo illud observatum sit, in Corpore Juris Iudaici, nec ne? videbis examinatos. Cetera ad nos in praesens non pertinent, nisi quod parum haec convenire videntur sententiae, ex ejusdem *Meiri* ore consignatae, in *Capit. Patr.* c. IV. §. IX. qua הוי שפל רוח בכני כל אדם h. e. *humilitatem erga omnes exercere* iussit: nisi forte piscator ictus quodammodo resipiscens, suo exemplo alios sapere postea demum docuit.

§. XXI.

At tamen, hoc non obstante, animadversum est a plerisque Iudaeorum, *R. Ganzio*, *R. Abrahamo*, & *R. Samuele* in *Halich, Olam* aliisque pluribus, si quando *Mischna simpliciter* (פתם) proferatur, nullo auctoris nomine expresso, in Pandectis Talmudicis, hunc *R. Meir* eam subministrasse; quasi, qui Traditionum *Mischnicarum* prius condus jure optimo appellandus sit. Unde, quanta ejus nihilominus in rebus Iudaeorum conservandis, propagandisque *παρρησιασθεως*, fuerit omni tempore auctoritas, in *Uxorem* dubio procul etiam dimanans, abunde patet. Inimulatur quidem a nonnullis affectationis etiam novarum opinionum; sed ab aliis vicissim excusatur quam studiosissime, & ignorantiam potius Lectorum in causa esse hujus rei, quam Viri tanti petulantiam, perhibetur. Digna sunt in hanc rem verba *Gem. Erubb.* Bab. f. 13. b. l. 4. sq. in commentarios relata,

אך אחא בר חנינה גלוי וידוע לפני מי שאמר והיה עולם שאין כדורו של ר' מאיר כמותו ומפני מה לא קבעו הלכה כמותו שלא יכלו חביריו לעמוד על סוף דעתו

וכי דעתו שהוא אמר על טמא טהור וכי h. e. R. *Abba dixit: Manifestum esse & exploratum coram eo, quo jubente mundus extitit, h. e. Numine Supremo, neminem, dum vixit R. Meir, ei fuisse similem; Si quis autem quarat, qui factum sit, quod ex sententia illius non semper desinuerint Sapientes controversias; non aliam fuisse causam, credo, quam quia Socii ejusdem in Viri perspicacissimi intentionem mentis & scopum non omnino penetrarunt, quando e. gr. munda pro immundis, & rursus, declaravit &c.* Eodemque loco non sine excessu laudis נהוראי illustris, & R. Meir מאיר cognominatus esse asseritur, quoniam שהוא מאיר עיני חכמים oculos Sapientum illuminavit, &c, quod est in proverbio, oculos cornicum confoderit. Quibus rebus jam in proparatulo etiam erit, quare & *Beruria* singulares opiniones fere semper sectata perhibeatur; neque enim a Marito aliter edocta, vel exemplo quotidiano fuerat. Ut idem Rabbini, olim & מאישיא dictus, R. *Juda Sancti* ipsemet præceptor fuerit, interfueritque hujus filii nuptiis, diutissime superstes, & similia, prætermittimus de industria. Nam de titulo, quo *Beruria* toties R. Meir Uxor compellata, & veluti tanti mariti conjugio nobilitata est, isthæc adducendo, jam scopo nostro abunde satisfactum.

§. XXII.

Unicum restat, quod silentio involvere non possumus. Nempe *Beruriam* non solum, sed aliam quoque uxorem, præter illam, connubio sibi junctam *Meierum* habuisse, alteramque ductam esse, sive antequam illam in thorum acceperat, sive postquam ad plures abierat, singulari, uti suo loco dicemus, fato. R. *Abraham Sachuth* ex *Maff. Chullin* id observatum testatumque reliquit in *Fuchasim* fol. 58. a. ed. *Cracov.*, qua utimur, formæ 4tæ, inquit: ברוריא אשת ר' מאיר ונראה שהיה לר' מאיר אשה אחרת קודם שאמר ר' יהושוע בן גרון בן חמי של ר' מאיר i. e. *Beruria Uxor quidem fuit r' R. Meir, sed tamen*

samen videtur idem R. Meir aliam habuisse, antehac, in Matrimonio: eo quod mentio injicitur in Talmude R. Josua f. Garon filii Soceri rā R. Meir. Qui, cum alius fuerit quam R. Chanina Traditionides pater Beruriae, consequens est, aliam quoque, & quidem, ceu determinat ipse R. Abrahamus, antea in thalamum adscivisse: quod nobis fatius in medio relinquendum videbatur. Natæ quoque ex hoc famigeratissimo Rabbinorum filix alicubi meminit Talmud. Bab. in Kiddush, f. 81. b. & l. 25, sq. ubi ipse, sibi parum confidens & pudicitix suæ, admonuisse alios dicitur: **הזהרו בי מפני כתי**, ut animadvertere studiose, ne quod filia sua ipsemet vitium inferret; quod porro, quemadmodum ridenti discipulo male eveniret, illustratur l. c. Sed si amplius investigandum sit, plures ne liberos an hanc unam genuerit; itemque, ex qua conjuge, Beruria an Garonis sorore, illam prolem susceperit, & quæ sunt alia hujusmodi, fateor in re obscurissima, nihil mihi suppetere, quod affirmare aut negare sustineam. Quanquam ad Beruria, si quid indagare liceret, vitæ descriptionem, illud plurimum facere posset.

§. XXIII.

At enimvero his omissis, tandem ad ipsam ERUDITIONEM Illustris foeminae, BERURIAE, accedemus propius, & primum, quæ in Chronicis Judæorum habentur, præter pervulgatam inter omnes Judæos famam & consensionem, testimonia adducemus. In his primum locum, tanquam reliquis vetustior teneat R. Abr. Sachutus diligentissimus Fuchasin L. scriptor. Ille vero sapius & nominatim f. 31. a. scriptit: **ור חנינא בן חרדיון חבירו דר' שמעון בן אליעזר אביה של כרוריא אשת ר מאיר והיא חכמה מאוד נוכרת בכריתא** h. e. *Vixit eo tempore etiam R. Chanina b. Tradion, condiscipulus seu discipulus R. Sim. fil. Eliezeris, Genitor Beruria Ux. R. Meir, quæ admodum Docta fuit & commemoratur in Extranea traditione h. e. Mischnæ addita Gemara &c. & f. 86. a. l. penult. כרוריא היא בת*





**כת ר' חנינא בן תרדיון אשת ר' מאיר וחולקת עם תנאים**  
*h. e. Beruria filia R. Chanina f. Trad. Coniux R. Meir., quae cum*  
*Mischnicis Doctõribus disputare consuevit &c. Similiter R. Dav.*  
*Ganz. in Zemach David ad A. a. M. C. 388 I. hoc eodem illam*  
**ברוריה כת ר' חנינא בן תרדיון אשת רבי**  
**מאיר אשה חכמה מאוד נזכרת בתוספתא כפרק י' ז**  
**דכלים**, *i. e. Beruria f. R. Chanina f. Tradition, Ux. R. Meir,*  
*Mulier valde erudita, occurrit in Additionibus ad Cap. XI. Celim*  
*&c. Adderemus etiam tertium testem, R. Gedalia puta,*  
*Auct. Schalsch. hakk. sed quia commodior locus inferius ei dan-*  
*dus esse videtur, anticipatione heic superfedemus. Certe ex*  
*his satis elucet, atque scriptis quibuscunque Judæorum, in eo*  
*conspirare omnes, summæ doctrinæ Viris æquiparandam ob eru-*  
*ditionem fuisse, eoquæ solo nomine inter ipsos Mischnicos Do-*  
*ctores connumeratam quoque solam fuisse Beruriam. Quam*  
*in rem R. Samuel in Halich. Olam adhuc audiendus erit, cujus*  
*hæc leguntur Tr. III. c. II. f. 110. עמ*  
**מצינו אישה חולקת עם**  
**התנאים כרין כמו תנא כמו שמצא הכריותות בתוספות**  
**דריש כלאים** *h. e. Invenimus quoque Mulierem quandam*  
*a Doctõribus Mischnicis in Jure dissentire, instar Mischnici*  
*alicujus Doctõris. Quemadmodum Autor Cerithuth in addi-*  
*tionibus invenit initio Cod. Cilaim &c. Ita reddit l'Empereur.*  
*Rectius autem nos interpretabimur: sicuti talis discrepantia*  
*& quasi discissio sententiarum reperitur in Addit. ad Cod. Celim.*  
*Male enim Cod. Cilaim, de Heterogeneis, pro Cod. Celim, seu de*  
*Vasis impuris & emundandis, nescio typographorum vicio, an*  
*memoriæ lapsu, allegatur; uti sequentia comprobabunt. Ce-*  
*terum Beruriam indigitari his verbis statim apparebit ex ipsius*  
*loci citati inspectione: quanquam & verba sequentia l. c. eam*  
*ipsam syllabatim nominent.*

§. XXIV.

Ad specialia, si descendere placet, plura quidem scripta  
 anti-

antiqua & monumenta Judæorum dabunt. Nobis autem, ut  
 compendium faciamus dicendorum, duo instar omnium testimo-  
 nia memorabilia ceteris sunt. Alterum etiam horum *B. Wagen-  
 feilius* Comm. ad *Sotaf.* 4 36. excerptit, & in latinum sermonem ni-  
 tide convertit, quod ita habet: הנהו כריוני דהו בשבכותיה  
 דר' מאיר והו קא מצערי ליה טובא הוה קא בעיר' מאיר  
 רחמי עלוהו כ' היכי דלימותו אמרתי ליה ברורי' ~~א~~  
 דביתהו מאי דעתך דכתיב יתמו חטאים מי כתיב  
 חוטאים חטאים כתיב ועוד שפיל לסיפא דקרא ורשעים  
 עוד אינם כיון דיתמו חטאים ורשעים אינם אלא בעי  
 רחמי עלוהו דלהדרו בתשובה אמר לה ההו מינא  
 לכרוריא כתיב רני עקרה לא ילדה משום דלא ילדה  
 רני אמרה ליה שטיא שפיל לסיפא דקרא כי רבים כנ'  
 שוממה מבני בעולה אמר י' אלא לא ילדה רני כנסת  
 ישראל שדומה לאישה עקרה שלא ילדה בנים לגיהנם  
 כותייכו id est: *Cum in tē R. Meir vicinia, quidam homines  
 nequam essent, qui multum eum laceſſebant, illorum nomine  
 Deum precatus est, ut e medio tollerentur (morerentur; ) At ve-  
 ro Beruria Coniux illi dixit: Quid ita censes? An quod scriptum:  
 (Psalm. CIV, 35.) Consumantur חטאים? Heus, num חוטאים  
 dicitur, ( ut de peccatoribus sermo esse videri queat? ) Imo  
 vero dicitur חטאים ( ut ipsa peccata intelligi, manifestum sit. )  
 Amplius, conſer ea, quæ mox in textu ſequuntur, (& depre-  
 hendes, ſic omnino accipienda verba eſſe, prout innui. Nam  
 ſuccedit: ) *Et impii ultra ne ſint.* ( Scilicet, ſi חטאים peccatores  
 notaret, ) *quomodo iis conſumtis adhuc ſuper-eſſe poſſent impii?*  
*Quin igitur potius, Deum precare, ut ad frugem revertantur*  
*( vicini nequiſſimi, ſic enim vere, ſecundum illud Scripturæ, ſub-*  
*latis peccatis impii deficient. ) Quidam Infidelis, percontatus*  
*eſt Beruriam, quid ſibi vellet illud ( Ef. LIV, 1. ) Cantu ſterilis,*  
*quæ non parit. Nunquid enim, aiebat, quia ſterilis eſt, ideo*  
 cas-*

cantare debet? Respondit ipsa: *Stulte, consule istius commatis verba ultima: (ubi scriptum est) Nam plures sunt filia desolatae, quam conjugata, dicit Dominus (& responsio in promptu erit): Si vero distinctius, quis sit horum verborum, canta sterilis, qua non parit, sensus, (nosse desideras; Scito) Ecclesiam Judaeam, cujus cum muliere sterili hic instituitur comparatio, cantare, quod liberos Gehenna non peperit, quales vestri sunt.* Hæc ex versione *Wagenfeilii* non nihil in quibusdam mutata, in qua de reliquo nihil est, quod desideremus, nisi quod ex *Pešakim* f. 10. a. citetur locus: cum tamen, ne apex quidem ibidem legatur, sed in Bab. *Berachoth*: ubi eodem folio & columna reperitur; ut adeo non dubitandum sit, errorem hunc calamoduntaxat fugitivo Magni Polyhistoris esse adscribendum. Id quod ad h. l. in Vers. nuper etiam *Cl. Edzardum* observasse, evoluto ejus C. I. *Berach.* reperi. Patet vero ex ipsa historia heic enarrata: tum æquanimitas & mansuetudo *Berurie*, quam didicisse fideliter artes non sicut esse, perinde ut Maritus fuit, feram; tum & Scripturæ peritia, quam docte scitissimeque & h. l. attulit in medium & interpretata est, non sine aculeo in מִינַי illius, sibi valde placentis, animo relicto. De cetero ex formulis בְּרִינִי *Creatura* & מַטְוֵה *stulte*, quæ hic leguntur, aliquid lucis pro illustratione N. T. Marc. XVI, 15. & Matth. V, 22. peti posse, uno verbo Lectores admonitos volumus. Utrum vero Codice Bibliorum, punctis vocalibus notato, usâ sit, cum marito, nihil ad hæc respondente aut excipiente, ubi hodie מִטְוֵה *Peccatores*, alia forma tantum signato nomine concreto legimus, & quæ causa sit ejus discrepantiæ; ac denique, quare nomina tantum verborum textus, cum *Matre lectionis* exprimentur, nulla vocalis facta mentione, Criticorum est arbitrari. De *Antiquitate* vero *punctorum* disceptantes quid hinc probabiliter efficere possint, alius loci est exponere. Nos interim a *Beruria*

E

ali-

aliquid didicisse, & non quod pueri in faba, in hoc sermone, ad illam controversiam decidendam, invenisse, in sinu gaudemus; quam tamen, quia hoc nunc non agimus, *ως εν παραδω* observationem, attingere primis quasi digitis magis quam evolvere, nostri officii esse existimavimus.

§. XXV.

Pergimus ad alterum locum, ex *Mass. Celim* citatum, unde, quæ fuerit in decidendo auctoritas ejus, inter *Mischna* Magistrorum, manifesto elucebit. Nempe disputatur ibidem in *textu & Additionibus* c. XI. fol. 20. b. col. 2. l. 34. sqq. de quibusdam instrumentis domesticis, quando & quibus conditionibus immunditiam contrahant, (more *Pharisæorum* a Christo etiam culpato *Matth. XXIII, 25.*) ac tandem inter alia narratur 'אמר ר' יוסי בא ר' יוחנן בן נורי אצל ר' חלפתא א"ל מה אתה אומר נפיקה של מתכת א"ל אף אני אומר אלא שעקיכה מטהר קלוסטר א' טרפון מטהר וחכמים מטמאים וברוריה אומרת שומטה מפתח זה ותולה כחברו בשבת וכשנאמרו דברים לפני ר' יהושוע אמר יפה אמרה ברוריה i. e. *Ex R. Jose relatione constat, venisse aliquando R. Johannem s. Nuri ad R. Chaliphtham, eumque interrogasse, quid sentiat de Verticello ex are fuso (de quo l. c. in Mischna legitur) Cui ille, & se existimare, reposuit, quod immundum sit; sed propterea dubium adhuc quodammodo harere, quod sciat, R. Akibham purum esse judicasse. Claustrum vero, (Buxtorff. redd. scriptum per ג, Globum crassum in pessulo) R. Tryphon purum pronunciare, at Sapientes judicare esse immundum, respondit. Beruria vero dixit: Possit illud a janua una, cui adhibitum fuerat claudenda, in aliam transferri in Sabbatho, adeoque, ut nobis videtur, mundum esse; Quod cum narrassent Responsum foeminae Illustris R. Fosua: Belle is eam respondisse atque rem* acis

neu tetigisse desinivit, atque ita controversia hac decisione finita est. Equidem consulta ne a maximis Rabbiniis domi suæ fuerit *Beruria*, an vero in confessu aliorum mentem tam accurate, & ratione simul reddita, Judaico more, edisseruerit, incertum est. At tamen, ut sit, tantam ejus fuisse auctoritatem inde constat, ut sapientissimis etiam Viris anteferenda ejus sententia videretur, ejusque definitione conquiescendum censeretur: quod quanti fiat inter Hebræos in vulgus notum est. Atque eo respexere *R. Dav. Ganz.* & *R. Samuel*, quorum uterque inter תנאים Beruriam numerari, observavit. Quæ vero fuerit alicujus תנא tam dignitas, quam requisita, cum auctoritate testandi & docendi eruditio, omnes norunt, qui Historiam literariam Hebr. Gentis, (ubi post *Horaos*, *Tannai*, & post hos *Gemarista* omnes, *Amorai* & *Sebborai*, cum sequentibus גאונים, omnes doctrinæ laude *fulgentissimi*, occurrunt,) recte callent. Unum est, quod vehementer miramur, cum inter Tannaim nomen obtinuerit & locum, qui factum, quod nusquam in ipsis Fundamentis Talmudis, puta *Mischmajoth*, ejus injecta est explicata mentio. Id vero dum aliis expendendum relinquimus, nobis satis erit conjicere: vel Virorum honori ut consultum iret, *R. Jehudam* hoc consilium iniisse: vel plures nihilominus *deutereses*, ab ea acceptas, verum suppresso nomiae illic reperiri.

§. XXVI.

Sed nec VITIA illius tacenda indistaque præteriri debent. In his eminet non postremum & foedissimum monstrum, ARROGANTIA atque φιλαυρία, ex eruditionis laude atque opinione, quod tantopere etiam viros vexat dedecus, procul dubio orta. Ita enim notatum legimus a *Raschio* ad י"ץ f. 18. b. l. 3. sq. ad verba Gem. פנים אחרת ליגלה על שאמרו חכמים נשים דעתן קלותהו עליהו *h. e. Risit aliquando (eum contemtu) Beruria super eo, quod statuerunt Sapientes: Esse Mulierum mentes*

mentes & ingenia leviora, quam ut tantis negotiis, ( de quibus nescio quis sermo erat ) *sustinendis paria & idonea sint.* Quod cum satis jam prodat animum, cum indignatione Magistrorum edictum, valde sibi placentem; tamen pluribus explicatur ab aliis, & forte in ceteris editionibus, ( *Amstelodamensi* enim exemplari nos utimur, ) exscriptum legitur, quod tradunt Judæi porro ad risum adjecisse: Nempe *scriptum reliquisse eam in libello suo*, uti *Bartoloccins*, brevissimis de ea agens, annotavit; *Præter Bezuriam*. Vid. §. 31. Unde patet, quod se solam ex sorte sexui suo communi, & omnium foeminarum numero, in quas hoc conveniret aliqui judicium, excipiendam arbitrata fuerit. Quæ si ita comparata sunt, uti Judæorum quidem fide recensemus, qua etiam cetera nituntur omnia, vere illud, quod vulgo dicitur: *Inquinat egregius adjuncta superbia dotes*, quadrat in eam, &, quod fuit *Plauti* judicium, Pulchrum ingenium turpes mores pejus cæno collinebant.

## §. XXVII.

Interim, dum Judæorum fide tantisper stamus, quam quidem hac in parte, in dubium vocandi causam sufficientem habemus nondum videmus, inde porro inferimus: *Habuisse* tunc, qui traditiones *Mischnicas* conservabant, *תנאים*, memorię juvandæ gratia, *Libellos* suos, vel schedulas & pugillares, quibus observationes, in posterum tempus propagandas, consignarent easdemque posteritati hoc modo reliquerint. Ex quibus postea schedulis suum illud celeberrimum concinasse *Opus Mischnicum*, in ordinem illas redigendo, & in *ששה סדרים*, ut vulgo vocant, disponendo R. *Judam*, cognomento *Sanctum*, Judæorum fert constans traditio, etiam Christianorum testimonis quibusdam firmata. Ex schedulis etiam corrasisse eum hunc Centonem luculento testimonio in *Seph. Juchasin* & a R. *D. Ganz.* in *Zemach David* ad A. ab O. C. 3975. confirmatur, his verbis: *הנה אע"פ שדברים שעל פה אי אתה רשאי לאמרן בכתב כד'אתא*

זכראיתא כפרק הניזקין מ' מ' סמך רבי על העת לעשות  
 ל"י הפירו תורתך ואסף וקבץ כל ההלכות ודינים  
 ודברי חכמים שכתבו כל אחד לעצמו ממה שלמדו  
 בית דין בכל דור ודור מימי הוקנים והנביאים ואנשי  
 כנסת הגדולה וחכמי המשנה עד זמנו וכתבם בששה  
 סדרים והם וכו' h. e. Ecce, quantumvis ea qua oretenus  
 propaganda erant; non licitum esset in scriptis commentarios re-  
 ferre, sicuti docetur in Cap. Nissakin; Nihilofecius animum  
 advertens Rabbi (ואת' עזרא) ad illa verba Psalm. CXIX, 126.  
 Tempus est, ut faciamus, Domine, etenim destruxerant legem  
 Tuam; collegit & congeffit undiquaque omnes decisiones & sta-  
 tuta atque verba Sapientum, que unusquisque eorum, pro se  
 ipso & in suos privatos usus conscripserat, ex iis, que in judi-  
 ciis & consessibus omni atate dialicerant, inde a temporibus Se-  
 niorum, Prophetarum, Virorum Synagoga Magna, Sapientum-  
 que Mischna, usque ad tempus suum, eaque cuncta in sex Ordi-  
 nes seu Sectiones redegit atque coordinavit: Ut sunt: Ordo de  
 Seminibus: Festis, Dammis datis, Mulieribus, Sanctis, Purifi-  
 cationibus &c. Ad que, si sua quoque opella Beruriam nonni-  
 hil attulisse dixeris, בספרה ex suis pugillaribus, nostro institu-  
 to satisfactum erit, & Judæorum inter Mischnicos illam connu-  
 merantium asserto fides nunc magis constabit.

s. XXVIII.

His iisdem de causis, supercilio puta non vulgari, acci-  
 dit, procul omni dubio, ut præstantissimis Rabbinorum, non so-  
 lum venerationem eam non exhiberet, quam præstare illis par  
 fuit; sed contumeliosis etiam verbis, hallucinantibus utcumque,  
 insultaret. Testis esse poterit אנדרה, ut Judæi vocant, seu  
 curiosa historiola, quam ex Talmudicis fontibus forte recitat R.  
 Abulhabb in Menorath hammaor Luc. I. Cl. 2, P. 3. c. I.  
 E 3 ר' יום י'

ר' יוסי הגלילי אול באורחא אשכחה לברוריא א' לבאי  
 זו דרך נלך ללוד אמרה לו גלילי שוטה לא כך אמרו  
 חכמים לא תרבה שיחה עם האישה היה לך לומר אינו  
 : ללוד: h. e. R. *Jose Galileus*, Clarissimus Rabbinorum Mischni-  
 corum, in via incidebat & obviam aliquando habebat forte  
 fortuna Beruriam, eamque interrogabat: *Quanam via nobis*  
*eundum est ad oppidum Lud?* Illa vero respondebat ipsi: *Rho-*  
*dum Stulce Galilae, an nescis, Sapientes jussisse* (Extat hoc Præ-  
 ceptum in Pircke Abhoth c. I. th. V.) *evitare longam cum fæ-*  
*minis confabulationem? Dicendam tibi proinde fuisset*, brevis-  
 sime: *Quorsum Lyddam?* En factum hujus Mulierculæ, & si-  
 mul in allegandis Doctorum placitis, quæ statim habebat in  
 promptu, alacritatem, qua eruditum Virum non sine contume-  
 lia corripiebat! Non solum autem ad hunc usum inserviet illa  
 narratio, ut *Berurie* mores qui fuerint inde cognoscere liceat;  
 sed etiam, ubi locorum tunc vixerit, & quod in Judæa nata sit,  
 vix alias tam audacter *Galilæi* nomen in opprobrium secum col-  
 loquentis Viri usurpatura, conjecturam facere licebit: sicuti jam  
 supra uno verbo innuimus. Ad hæc ex eodem ignominioso ti-  
 tulo & alloquio, quo in pretio Judææ incolis, etiam tunc tem-  
 poris adhuc, fuerint Galilæi, elucet; ut mirari non amplius  
 liceat, *Christum* quoque Servatorem nostrum a Judæis, utpote  
*Galileum*, educatione, & ex ipsorum sententia, etiam nativitate,  
 Prophetam esse posse, nedum Messiam, Joh. VII, 41. § 2. esse  
 negatum: immo vix quicquam ex *Galilæa* & oppido ejus *Nazareth*,  
 expectari posse, etiam optimum *Nathanaelem* peperam  
 asseruisse. Joh. I, 47. Ne quid de *Nicodemo* dicamus, cui simili-  
 liter pene os occlusisse Collegas constat. Placuit autem hoc  
 exemplo istud convitium illustrare, vel eo, quod *Buxtorffius* in  
 Lex. id omisit, & ad nostrum insuper scopum, *Berurie* nimirum  
 eruditam monstrandam audaciam, aliquid facere, visum fuit.



Equidem diu inquisivimus, unde nam R. *Abubabb* istam narratiunculam petiisset, atque tandem in *Gem. Bab. Erubbin* f. 53. b. l. 3. a fin. invenimus feliciter. Ibidem vero huic perlustratæ statim subjectam allam observavimus, de *Beruria* nostra historiam, non minus supercilii ejus, quam eruditionis Documentum: Verba l. c. & proximo fol. 54. a. l. 1. sqq. hæc sunt:

ברוריה אשכחתי להחוא תלמידא דההוא קא גרים  
בלחישא כטשה ביה אמרה ליה לא כך כתוב ערוכה  
בכל ושמורה אם ערוכה במאתים ומ"ח אברים שלך

*Mשתמרה ואם לא אינה משתמרה* h. e. *Incidit aliquando Beruria in discipulum seu studiosum quendam, eumque observans vidensque non voce pronunciata, sed susurrando intra se ac mussitando legere in Lege ac studere, calce eum percussit dicens cum obijuratione: Annon scriptum esse nosti I. Sam. XXIII, 5. Disposita in omnibus & custodita.* Quorum verborum sensus cum sit, si *Lex discatur ordinata & disposita, per omnia*, (totidem quippe numerant Judæi,) *Ducenta & quadraginta octo membra corporis humani*, quo pertinet etiam, ut inter legendum lingua atque os cum ceteris articulatæ vocis organis, rite moveantur, *custodiri & servari: Sin secus; Non retineri atque custodiri posse; tuum esset*, sonora voce, quæ legis enunciare, non musitare. Id quod exemplis pluribus eorum, qui quæ didicerunt, oblitii mox fuerint, hac una de causa, quod os non recte inter studendum aperuerint, comprobatur l. c. Nobis autem, tametsi fundamentum in verbis *Davidis* admodum videtur esse imbecille, ut sit ingeniosum; tamen egregium inter studendum memoriæ adminiculum subministratur, quod, nisi aliorum præsentia, aut virium debilitas prohibeat, soli si sumus, omnino fructum ferre non contemnendum, experientia docebit. Idemque consilium etiam acutissimus *J. Crus Franciscus Bonnus*

Lib.

L'ib. de *Ratione discendi* plane aureo, inter conditiones atque subsidia studiorum dudum retulit, quando C. V. n. 28. *Lectio, si fieri possit, ut sit sonora*, jubet, ejusque rei *rationem* reddit non dissimilem & optimam, quia *qua alta voce legimus, magis memoria imprimantur, quam qua tacito murmure*. Quod, ubi observaverint Artium bonarum studiosi & Literati quicunque, habebunt impostum, quod & ipsi a scemina hac erudita in studiorum methodo & Logica arte se didicisse, nunquam sine grato animo profiteantur & recordentur.

§. XXX.

Supereff EXITUS VITÆ, magis profecto, quam ipsius Parentis, æterna memoria dignus, nec minus flebilis, sicuti quidem Talmudistarum monumentis proditum est. Nimirum violata pudicitia & in adulterium tandem turpiter consentiens, mirabili fato, manus sibi ipsi intulisse & laqueo vitam finivisse dicitur *Beruria*. Subobscurè illud innuunt & quasi digitum tantum eo intendunt Gemaristæ in *Tr. de Idololatr.* f. 18. b. l. 11. sqq. Longa enim verborum serie, machinationibus & R. Meir in liberanda Sorore ex Lupanari denarratis, fraudibusque & insidiis fuscè expositis, addunt ibidem: Formidans, ne aliquando inopinato ab hostibus caperetur:

קם ערק אתא לככל איכא דאמרי ממעשה דברוריה  
 דאמרי מהאי מעשה ואיכא דאמרי ממעשה דברוריה

*h. e. Surrexit & aufugit venitque in Babyloniam: Ubi sunt nonnulli, qui ajunt id factum ab eo esse, propter hoc liberata sororis Uxoris audax facinus: Sunt autem, qui fugam susceptam esse affirmant ob istud factum, quod in ipsamet Beruria accidit. Quorum hæc spectent, quæ circa Beruriam dicuntur evenisse, nemo facile subodorabitur, nisi qui *Glossam Raschi* ad h. l. consulat, ubi clarissime totum hoc negotium explanatur. Scilicet occasione contemtionis Rabbiorum, ab ea derisui habitorum, & averfationis illius placiti, cujus vi mulieres accusabantur levitatis animi, de qua re supra actum est, §. XXVI., consilium pericu-*

riculosum & male consultum, ipsum R. Meierum inisse tradunt; eo fine, ut conjugem suam de veritate ejus asserti convinceret & castitatem fidemque conjugalem ejusdem periclitaretur: quod Verbis sequentibus describitur l. c. אמר לה סופך להודות לדבריהם ועוה אחד מתלמידי לנסותה לדבר עבירה והנציר ימים רבים עד שנתרצית וכשנודע לה חנקת עעמה וערק ר' מ' מחמת כיוסופא: *h. se. Dixit R. Meir ad Uxorem: Certus sum, me effecturum atque expecturum, ( Ich wills noch wohl erleben ) ut confitearis vera esse, qua de Adulteribus statuerunt Sapientes. Fuit vimirum & subornavit aliquem ex discipulis suis, ut tentaret Beruriam castimoniam eamque in stuprum illiceret; qui & instando continuis illecebris per multos dies tandem, ut consentiret in adulterium, obtinuit, etque hoc persuasit. Postquam vero rem omnem, quemadmodum instructa fuisset, Beruria comperit, semet ipsam manibus suis strangulavit. R. Meir autem ignominiam publicam metuens abiit, excessit, evasit. Tristis profecto exitus, & vita satis pulchre acta lamentabilis catastrophe, qua; quicquid egregii de Beruria dictum fuit, insigni contaminatur & indelebili macula.*

פ. XXXI,

Sed est, quod in hoc loco recte adhuc subindicatum, plene & planius edisseruit *Auth. Schalschel, hakkabb.* qui f. 32. a. ed. 4<sup>to</sup>. *Venet.* de tota Beruria historia, veluti per ἀναξιφαλαίσου quandam hic a nobis repetenda, sequentia Lectoribus proponit: כגטין פרק הנזקין נראה שה' מאיר היה גר עזק מכני בניו של נירון הקיסר י' א' שגירון היה שר צבא מחקיסר ונתגיד והיה נקרא גם כן ר' נהוראי ואומר המדרש שהיה יפה תאר במסכת כלים פ' א' ברוריה אשר ר' מאיר אמרה הלכה ונפסקה כדבריה והיתה בת ר' חנינא בן תרדיון וכפסחין פ' ה' אומר שכימי חורף למדה ש' הלכות מש' חכמים וכפ' ק' דע' א' לגלגה על מה שאמרו

ז'ל דעתן של נשים קלה וכתבה בספרה חוץ מברוריה  
 ור מאיר צוה לא מתלמידיו לנפותה ולקנטרה לדבר  
 עכירה והתלמיד הפציר בה כל כך עד שנתרצה ונכנס  
 ר מאיר חתת התלמיד ונשנתגלה אליה חנקה עצמה  
 ור מאיר ערק לבבל מהמת כסופיה h. e. In Cap. V. Tr.  
*Gittin* (de Libell. Repudii) affirmatur, R. Meir inter Judaeos nomen  
 professum esse tanquam proselytum, eumque Neronis Caesaris nepo-  
 tem fuisse: Quamquam ex aliorum sententia non Caesar ipse, sed  
 Caesarei Exercitus Dux Nero ille fuisse putetur, qui Judaeorum  
 sacris adhaeserit. Idem R. Meir fertur etiam aliqui dictus Ne-  
 borai, quasi Illustris aut spectabilis, & ut in *Medrasch* habetur,  
 forma admodum conspicua fuit, (quæ præter merita doctrinæ  
 ratio hujus nominis haud dubie erat.) *Capite I.* (Sphalma id pro-  
 cul dubio est; nam c. XI. hæc, uti supra dictum, leguntur) *Tr.*  
*Celim* inter alios Doctores ejusdem Conjugis Beruriam suffragium  
 quoque suum tulisse traditur, quod omnium consensu ceteris, tan-  
 quam definitio quæstionis accurata, approbatum est, & sententia  
 sec. eam lata. Hæc vero Beruria a Parente genita est R. Chanina  
 f. Tradion, & annotatum legitur de illa, in *Pesachim*, quod  
 hyemali tempore trecentas margaritas a trecentis Magistris  
 acceptas didicerit. Denique C. I. *Tr. de Idololatr.* (non in ipsa  
*Gemara*, sed *Glossa*) scriptum est, vidisse eam Sapientum in hoc  
 placitum, quo, *Atulieres* animi levioris esse, pronunciatum fuit,  
 & in libro suo adjecisse: Excipiendam esse Beruriam. At ve-  
 ro præcepisse maritum R. Meir, alicui ex Auditoribus suis, ut face-  
 ret periculum, utrum ejus pudicitiam expugnare posset, ad adul-  
 terium secum admittendum eam pelliciendo: Qui cum non de-  
 siderasset, donec illa consentiret, factum esse, NB. ut R. Meir ipse  
 Maritus, ea ignorante, in locum discipuli subiret & cum Ux.  
 congrederetur. Quo cognito ipsa quidem suspensio viram sibi  
 indignabunda eripuerit, R. Meir vero pudore perfusus in Babylo-  
 niam sine mora commigraverit. Notabilis est circumstantia, quan-  
 do

do ipsum *Mecrum* fraudulenter cum Uxore concubuisse dicitur, licet *Beruriam* ab adulterii culpa non excuset iste dolus, ipsumque adeo Maritum temerariæ petulantiae simul graviter reum agat; singularis tamen hic eventus eo inservire poterit, ut, quod *Oweus*, Epigrammate illo notissimo & Moralis Philosophiae Cultoribus atque *Jotis* trito, (nescio tamen an casum, ut vocant, dabilem, anne vero datum) exposuit:

*Cum propria imprudens conjux Uxore coivit,*

*Quam falso alterius credidit esse viri:*

*Hoc genitum coitu consulti Furis & aequi,*

*Legitime natum dicitis, anne nothum?*

hoc factum revera aliquando, aut certe hujusmodi quid, h. e. *Orueiano* casui haud dispari modo, accidisse omnibus constat.

§. XXXII.

*Extremum illud erit:* Quandoquidem *Es. XXIX, 14.* Inter Judæorum post Excidium atrocissimas poenas connumeratur *ד אכור חכמת חכמו וכינת נבוכד הסתחר*, qui fiat, quod tam egregiae sapientiae specimina in ipso sexu foeminino post hæc observare licuit? Enimvero facile dubio huic occurrere poteris, si longe alius generis sapientiam intelligi a Sacro Vate asseras, quam vulgo hoc vocant nomine mortales, naturali ingenii vi, etiam ex sacris monumentis, qualitercunque edocti. Intellectam enim illam Sapientiam, quam *συχνηται & αἰών τῆς* jaçant, non velle *Sp.S.*, cum rerum divinarum, quæ ad salutem æternam pertinent, rationes per se edocent: tum ipse quoque Spiritus Dei, qui Paulo interprete, eam quæ in mysterio crucis occupata est, divina fiducia comprehenso, solam *τῆς σοφίας & Θεῆ* laude cohonestat. Idemque cetera potius, quæcunque hoc nomine turgent & superbire solent, *σοφίας & νόστος & αἰώνας τῆς*, immo revera, ipso Deo iudice, *μωρίας* titulo *i. Cor. I, II. & III.* integris capitibus machavit. Atque hinc quanta etiam

tuncque sit, aut olim fuerit, Judæorum eruditio, ipsiusque *Beruria*, cum Marito celeberrimo, Fama; tamen obstare non potuit, quin in putidissimam stultitiam, etiam qua res *τῶν τῶν λόγων* attinentes, erumperet, & nil nisi *Spumam* Doctrinæ fuisset, qua superbiverunt, vel pudendis factis ambo palam proderent. Ut vel sic sua Vaticinio Sancti Propheta veritas, toto capite cit. expressa, constet, & orbi universo innotescat, *Attentem*, in quam adventus Messie incidit, teste R. *Jehuda* & ipso R. *Meir* in *Sanhedr.* f. 97. a. l. 19. sqq. fuisse *Caninam*, qua *Sapientia Sapientum computrefacta sit*, atque adeo, (quod est in *Schabb. Gem. Bab. f. 112. b.*) *Judeos recentiores comparatos cum Majoribus esse plane Afinos.*

## V I R O

PLVRIMVM REVERENDO PRAECLARISSIMO DOCTISSIMOQVE

DN. IOHANNI STENGELIO

TYRKHEIMENSIVM PASTORI LONGE MERITISSIMO

SS. P. D.

GVSTAVVS GEORGIVS ZELTNER, D.

*EX* quo Filium mihi Tuum paterno affectu humanissime commendasti, *VIR*  
*PL.* Venerande, consuetudine cum eo huc usque continuata, talem deprehendi, qualem non Tua quidem *Modestia*, ut Reverendi Dn. *Sapperi* nostri, (quem officiose meis verbis salutabis) literæ predicabant, *b. e. Pium*, Sedulum, *Rerum suarum satagentem in novis; & Virtutum*, quæ *Academiis infestant*, expertem, iisque fundamentis eruditionis instructum, quibus *læta incrementa* quotidie accedere sine impedimento queant, Adque cum Tuæ Reverendæ Dignitati jam non sine ingenua voluptate publice significem, occasione Speciminis hujus cum applausu editi, tum vel maxime eo valere optaverim testimonium hocce, ex re & vero perscriptum, ut Patronos in *ILLVSTRI REPVBL. VLMENSI*, Ecclesie *Evangelicæ* oculo, Gnato huic Tuo per dilecto, mihi quæ *amicissimo conciliem*. Ut pote quibus subsidis impetratis, de *Cultura Indolis & Ingenii præstantis*, optime queque polliceri ausim. In me sane, si qua licebit, nihil desiderari patiar, quod ad amplificandos bonæ mentis in eo positos thesauros, pro virili mea parte, conferre possim. Plura, quo minus addam, angustia spatii, ut vides, prohibet. *Quantobrem* voto de pectore calidissimo fuso, quicquid restabat dicendum, complector, & ut Ecclesie Tibi demandata procuratio non minus, quam Filii ad gregem *Jesus Christi* pascendum preparatio, in Domino prospere etiam in posterum succedat, ex animo precor, Tuoque favore & benevolentia ut me porro digneris, emixe rogo. Scrib. *Altorphi Noriberg. d. XLIX. Augusti A. R. S. c. 19. 1700. XIV.*

00 A 6357

ULB Halle

002 845 008

3




56.


v> 98

Rebo









21

Q. D. B. V.  
DE

# BERVRIA

IVDAEORVM  
DOCTISSIMA FOEMINA

<sup>AD</sup>  
HISTORIAM LITERARIAM  
EIVS GENTIS  
SECVLO SECVNDQ POST C. N. DILVCIDANDAM

*PRAESIDE*

GVSTAVO GEORGIO  
ZELTNER

SS. THEOL. D. EIVSD. ET LL. OO. P.P.  
ET V. D. M.  
DISQVITIONEM INSTITVET  
ACADEMICAM

*A.R.S. c13 13 cc XIV. D. SEXTIL.*

IOANNES STENGEL  
VLMENSIS.

---

ALTORFII  
TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYP.